

noris, et Abbate ibid. n. 16; ac Barbosa in Clem. un. n. 12. h. t. et aliis, maiorem esse intelligendam, quod Ecclesia fungatur jure minoris, qui tactus est major, quia sicut minor, postquam excessit vigesimum quintum ætatis annum, adhuc petit restitutionem in integrum usque ad quadriennium; ita et Ecclesia eam petere potest usque ad quadriennium a tempore cognite læsionis. Non autem, quod sicut minor tempore minorennitatis semper potest petere restitutionem; ita et Ecclesia (etiam cessante alia extraordinaria rationabili causa) semper et absque ulla temporis limitatione, ipsam petere possit: hoc enim est factum, atque in cap. i. h. t. in 6, expresse rejectum, reprobando simul contrariam Goffredi, et aliorum quorundam antiquorum sententiam, ut notat Glossa hic §. Admittenda.

71. *Ecclesia in jure minoris debet semper illæsa servari, quomodo intelligendum?* — Neque obstat, quod Ecclesia debeat « semper illæsa servari. » Nam ly « semper » non notat tempus, quod computatur a sua læsione, in perpetuum (oppositum enim determinatur tum in l. ult. C. de Temporib. in integrum restitut., tum in cit. cap. i. h. t. in 6) sed solum vult, quod Ecclesia graviter læsa intra quadriennium, semper sit restituenda, quandocumque et quotiescumque lædatur. Per quod Ecclesia differt a minore, qui non semper restituitur, sed solum usque ad viginti novem annos ætatis suæ: econtra Ecclesia non habet tale determinatum, seu a jure definitum tempus: sed semper sive quocumque tandem tempore lædatur, restituenda intra quadriennium. Siquidem favor religionis, ob quam Ecclesiæ beneficium conceditur restitutionis, semper durat: non sic fragilitas iudicii in minoribus, postquam effecti sunt majores.

72. *Triplex potest Ecclesia tædi, in sententia, in contractu, et in lapsu temporis.* — Quæritur IV. An, et qualiter locum habeat, restitutio in integrum, quando Ecclesia graviter se læsam assertit per lapsum temporis? Triplex enim potest accidere læsio Ecclesiæ, videlicet in sententia, et in contractu (de quibus duobus modis proxime est dictum) et in lapsu temporis: ut si Ecclesia intra decennium non appellavit a sententia contra se lata; aut si intra terminum peremptorium, a iudice statutum, testes et probationes necessarias non produxit, sicque in causa succubuit; vel si intra annum, aut saltem

biennium, appellationem non fuerit prosecuta, juxta c. Cum sit Romana. 5. de Appellation., et hujusmodi. Quo prænotato

73. *Ecclesia potest petere restitutionem etiam adversus lapsum temporis.* — Resp. I. Ecclesia potest petere restitutionem in integrum adversus lapsum temporis, in quo graviter læsa fuit. Textus est in Clem. un. h. t. illis verbis: « Ab Ecclesia adversus lapsum temporis in quo se læsam assertit, in integrum restitutio peti potest. »

74. *Tum judicialis, tum extrajudicialis.* — Et quia textus hinc loquitur indistincte, idcirco prædicta Clementina procedit non solum in restitutione adversus lapsum temporis judicialis, sed etiam extrajudicialis, prout notat Glossa in casu cit. Clement. et habetur in simili casu in c. Constitutus. 8. h. t. juncta Glossa §. Consuetudinem: ubi talis restitutio conceditur minoribus adversus lapsum unius anni et diei, intra quem jure retractus potuissent pretio oblato temere quampiam rem avitam, sed omiserant intra annum hoc facere; restituntur enim in integrum quoad istud jus emendi, sive ut postea oblato pretio possint rem illam retrahere et recuperare, si alioquin graviter læderentur.

75. *Dempto lapsu quadriennii ad petendam restitutionem concessi.* — Fallit tamen conclusio in lapsu ipsiusmet quadriennii ad petendam restitutionem concessi. Quia adversus lapsum dicti quadriennii nunquam conceditur restitutio: alioquin enim daretur restitutio ad implorandam restitutionem, et sic processus in infinitum. Glossa fin. in l. Interdum de Minorib.; Barbosa in Clem. un. n. 2. h. t. cum aliis.

76. *Causa restitutionis adversus lapsum temporis, finiri debet intra quadriennium.* — Resp. II. « Causa restitutionis adversus lapsum temporis finiri debet intra quadriennium continuum a tempore læsionis, etiamsi minus quadriennio tempus læsionis existat. » Ita textus expressus in cit. Clem. un. h. t. Unde quod quadriennium restitutionis adversus lapsum temporis concessum, non solum statuatur ad inchoandam, sed etiam ad finiendam litem restitutionis; recte notat Glossa ibid. §. Finiri, et Barbosa, ubi supra n. 3, citans alios.

77. *Idemque dicendum de qualibet restitutione in integrum.* — Quinimo Abbas in d. Clem. un. n. 6. h. t., et Mascardus de Probationib. concl. 4282 n. 4, generaliter docent, quod quælibet restitutio in integrum intra

quadriennium peti et finiri debeat, arg. cap. i. h. t. in 6, juncta Glossa ibid. §. Quadriennii spoliū, et habet textus notabilis in l. ult. C. de Temporib. in integrum restit.

78. *Quamvis hoc de consuetudine non servetur.* — Verum de consuetudine hoc non procedere. sed hujusmodi quadriennii tempus solummodo ad implorandum restitutionis beneficium observari, idque tam de foro civili, quam ecclesiastico, refert Barbosa, loc. cit. n. 4, post Rebuffum, tom. II, ad leges Gallie, art. 2, Gloss. 1. n. 4, et seqq., et alios.

79. *Ac etiam huiusmodi, quando non per Ecclesiam, sed per iudicem, vel adversarium stat, quominus tam cito terminetur.* — Loquendo etiam de rigore juris, data conclusio patitur limitationem, quando non per Ecclesiam, sed vel per iudicem, vel per adversarium stat, quominus intra quadriennium causa restitutionis terminetur, arg. l. Petendæ, in fin. c. de Temporib. in integr. restitut. ac notat Glossa locis proxime citatis. Sic quando per appellationem adversarii causa restitutionis prolelatur, non imputatur istud Ecclesiæ, neque huic præjudicat, sicut nec minori, l. Intra vitæ. ff. de Minorib.

80. *Restitutio in integrum adversus lapsum temporis ad quantum tempus sit concedenda?* — Resp. III. Nihilominus, quando conceditur restitutio in integrum adversus lapsum temporis, tunc ista datur solummodo ad tantum tempus, quantum se læsam esse Ecclesia probabit, et non ad longius. Textus est expressus in cit. Clem. un. h. t. Et merito: quia restitutio est alicujus in pristinum statum, seu jus suum repositio, l. Quod si minor. §. Restitutio. ff. de Minorib. Atqui hoc non fieret, si quis ex restitutione obtineret plus de tempore, quam fuerat tempus læsionis, sic enim foret in lucro is, qui restituitur, ac melior redderetur conditio ipsius; ergo.

81. *Duplex tempus in proposito est distinguendum, nempe tempus intra quod, et tempus ad quod.* — Unde Glossa in d. Clem. §. Si minus, et Abbas ibid. n. 2. h. t. duplex quoad propositum distinguant tempus. Unum appellant « Tempus intra quod: » estque illud intra quod petenda est restitutio: atque hoc de facto semper est uniforme, videlicet quadriennium in quacumque restitutione. Alterum vocant « Tempus ad quod; » estque illud, ad quod læsis ex lapsu temporis datur restitutio: atque hoc non est uniforme, sed variatur juxta diversitatem læsionis: quia non fit restitutio, nisi ad tantum tempus,

quantum Ecclesia se læsam esse probabit, juxta sæpe dictam Clem. un. h. t. Unde si ob neglectam a suo procuratore appellationem lædatur Ecclesia in decennio, restituitur ad decennium, si ob non factas ab eo probationes seu non adductos testes intra terminum peremptorium, v. g. unius trimestris, restituitur ad trimestre; et sic loquendo de aliis.

V.

DE CAUSIS, IN QUIBUS RESTITUTIO IN INTEGRUM LOCUM HABET, VEL NON HABET.

82. *Regula, quod minor, et Ecclesia graviter læsa in integrum restituatur, plures patitur fallentias.* — Etsi regula sit, quod minor viginti quinque annis, sicut et Ecclesia graviter læsa in integrum restitui debeat, sive talis læsio oriatur ex sententia contra ipsam lata, sive ex contractu cæteroquin valide celebrato, sive ex lapsu temporis, prout hactenus satis declaratum est, nihilominus hæc ipsa regula plures patitur fallentias, quarum aliquæ habentur clare in jure expressæ; ut sunt illæ, de quibus supra § 2, num. 25 et seqq. jam dictum; nonnullæ autem non adeo expressæ in jure deciduntur, sed etiamnum inter doctores controversantur. Ac de istis potissimum loquendo.

83. *Clericus minorennis in renuntiatione beneficii graviter læsus restituitur, quando hoc alteri nondum est collatum.* — Quæritur I. Utrum clerico minorenni in renuntiatione beneficii ecclesiastici graviter læso, danda sit restitutio in integrum? Resp. I. Quando beneficium necdum fuit alteri collatum, minor talis est restituendus. Ita Glossa c. Ex parte. 14. §. Quamvis minor: et Abbas, ibid. n. 14 et 15 de Restitut. spoliat. Covarruvias, lib. I, Var. resolut. cap. v, n. 1 et seqq.; Zoesius, h. t. n. 4; Engel, n. 21, et alii, nonnullis tamen exceptis. Ratio est, quia jus generaliter vult, minores graviter læsos esse restituendos: atqui ab hac regula nullibi reperitur excepta læsio minoribus contingens in renuntiatione beneficii; ergo standum regulæ, præsertim cum etiam hic urgeat infirmitas ætatis et immaturitas iudicii. Accedit, quod alioquin clericus minor, qui ex levitate quadam renuntiavit beneficio, unde vivebat, cogeretur mendicare in despectum ordinis clericalis, nisi restitutione in integrum juvari posset.

84. *Minor in beneficiis habetur loco majoris; et quomodo?* — Dices. Minor in benefi-

cialibus aliisque spiritualibus causis, habetur loco majoris; ut cap. ult. *de Judiciis*, in 6, ubi is in dictis causis vel per se, vel per procuratorem agere potest, ac si major viginti quinque annis esset: ergo non restituitur. Resp. neg. consequent. Nam, quod minor in beneficialibus aliisque spiritualibus causis ad instar majorennis possit stare in iudicio, hoc in ejus gratiam et favorem introductum fuit. Atqui concessio unius favoris non debet causare detrimentum alterius; quia, « quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, » juxta reg. 61 juris in 6, ergo per hoc non privatur remedio restitutionis in integrum quoad causas beneficiales, cum idcirco non desinat esse minorennis.

85. *Probabilius est ejusmodi minori competere restitutionem in integrum, licet beneficium jam fuerit alteri collatum.* — Resp. II. Etiam si beneficium alteri jam fuerit collatum, adhuc probabilius est, clerico minori competere restitutionem in integrum, quando ex tali resignatione arbitrio episcopi graviter læsus fuit. Ita Vincentius in c. *Ex litteris*, et c. *Constitutus. De in integrum restitut.* Covarruvias, cit. cap. v, n. 3, allegans plures alios; Zoesius, h. t. n. 5, citans insuper Gomesium ad reg. *De triennali possess.* quæst. 15; et Molinam *de Jus*, et jur. disp. 573 vers. *Utrum autem.* Engel, h. t. n. 22, contra Glossam in cit. c. *Ex parte. Quamvis minor.*; Abbatem ibid. n. 14, et 18 *de Restitut. spohat.*, ac plures alios: hi enim distinguunt inter beneficium post renuntiationem minoris alteri collatum, vel non collatum; et volunt, ad istud competere isti restitutionem in integrum, non vero ad illud, ob rationes loco objectionum afferendas.

86. *Idque probatur.* — Ratio fundamentalis nostræ conclusionis est eadem, quæ supra n. 83, allata fuit: quia videlicet nullibi reperitur jure cautum, quod minorenni in spiritualibus, seu beneficii resignatione graviter capto non debeat subveniri; et alioquin is mendicare cogeretur. Accedit, quod fortius in istis spiritualibus, quam in aliis, subveniendum sit graviter deceptis ac læsis: tum quia in rebus ecclesiasticis majus periculum est, quam in aliis, sicque in eis cautius est agendum, can. *Quiescamus.* dist. 42 cum similibus; tum quia vel maxime per Ecclesiam non sunt tolerandæ fraudes atque deceptiones in spiritualibus: unde et in c. *Cum universonum* 8 *de Rerum permutat.* subvenit Ecclesia simplicitati illius, qui in permutatione

beneficii sui graviter deceptus ac læsus fuit, restituendo videlicet ipsum ad beneficium pristinum, etiam alteri jam collatum, et amoto quolibet ejus detentore

87. *Solvuntur instantiæ.* — Dices. In l. *Quod si minor.* § *Scevola*, ff. *de Minorib. et L. ult. C. de Repudiand. hæredit.* dicitur minorem, qui juvenili levitate ductus repudiavit hæreditatem, aut omisit bonorum possessionem, esse quidem restituendum, si omnia sint integra, secus vero, si distracta hæreditate res non amplius sit integra: idem ergo dicendum in proposito. Resp. neg. consequent. Quamvis enim lex ista quoad priorem partem suam confirmet primam nostram conclusionem nu. 83 positam, argumento a minori ad majus desumpto, posteriorem tamen conclusionem non enervat. Siquidem in d. § *Scevola*, et cit. l. ult. sermo est de casu, quo agitur de lucro captando, sive de acquirenda hæreditate, quam utpote repudiatam minor nunquam habuit: non etiam de damno vitando, de quo loquitur nostra conclusio, et ratione cujus ob gravem læsionem solet concedi restitutio in integrum.

88. *An clericus ille indigeat nova collatione beneficii, ad quod restituitur?* — Urgebis. Per resignationem beneficii, præsertim si hoc alteri jam a superiore fuit collatum, extinctus est titulus, ac omne jus, quod clericus minorennis antea in illo habuit; ergo non potest amplius ad illud restitui. Probatur consequentia. Quia beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri juxta reg. 4, juris in 6, atqui hoc fieret, si posset restitui. Vel certe opus foret nova collatione: non autem sufficeret sola restitutio in integrum; ergo. Resp. negando consequentiam, cum minori suæ probationis. Nam hoc ipso, quod clericus minorennis restituatur in integrum, recuperat pristinum titulum, ac omne jus suum, quod antea habuit: restitutio enim est in pristinum statum repositio. Unde talis nec caret titulo, nec indiget nova collatione; neque enim curandum est, qualiter conferatur jus, an per formalem collationem, an per restitutionem in integrum. Abbas in cit. c. *Ex parte*, n. 14 et 18. *de Restitut. spoliat.*

89. *Minor adversus professionem religiosam nunquam restituitur.* — Quæritur II. Utrum adversus professionem religiosam detur restitutio in integrum? Resp. Minor adversus professionem religiosam nunquam restituitur: bene tamen, ut, si allegaverit nullitatem

ejus, post lapsum quinquennii adhuc audiri, et causas dictæ nullitatis in iudicio proponere possit. Prima pars desumitur ex can. *Constitut.* 20. q. 3, juncta Glossa fin. ibid. eamque tradit Speculator, tit. *Restitut. in integrum.* § *Qualiter.* n. 6; Abbas cit. c. *Ex parte.* n. 16: Fagnanus in c. *Significatum.* n. 36. *de Regularib.* estque communis. Accedit ratio, quia restitutio in integrum non conceditur, nisi læso, ut dictum § 1, n. 8 et seqq. Atqui per professionem religiosam nemo læditur, neque decipitur; eo, quod profitens religionem serviat ei, « cui servire regnare est; » ut canit Ecclesia in *Missa pro Pace*: et cum ditiore contrahat sponso, arg. can. *Sicut bonum.* 27, q. 1. Simulque salutem animæ suæ magis consulat, can. *Nunquam de Consec.* dist. 5.

90. *Bene tamen, ut, si allegaverit nullitatem ejus, post quinquennium possit audiri.* — Altera pars probatur ex eo: quia juxta concilium Trident., sess. 25, cap. XIX. *de Regularib.* regularis reclamans contra suam professionem, dum ipsam asserit esse invalidam ob defectum consensus, ætatis, aut alia de causa, servatis servandis auditur intra quinquennium. Quod si vero legitime intra quinquennium impeditus fuit ad reclamandum, allegatis causis hujus justi impedimenti potest restitui in integrum, ut post elapsam quinquennium adhuc audiri, et causas nullitatis professionis suæ in iudicio proponere valeat. Sanchez, lib. VII. *de Matrim.* disp. 34, n. 22; Portel in *Dubiis regularium.* §. *Professio*, n. 45: Fagnanus in c. *Perlatum*, n. 33 et 38. *De iis qui vi metusve causa.* et communis.

91. *Restitutio hæc adversus lapsum quinquennii a solo Papa potest concedi.* — Circa quod tamen recte notat idem Fagnanus in c. *Consuluit*, n. 35, *Qui clerici vel voventes*, etc. quod hæc facultas restituendi in integrum adversus lapsum quinquennii aliis non competat, nisi Summo Pontifici; ut etiam de stylo observatur. Siquidem, ut quis possit audiri post quinquennium, debet adire Romæ sacram congregationem concilii Tridentini, seu alteram regularium negotiis præpositam, quæ prius cognitis saltem summarie nullitatibus deducendis, et justo impedimento reclamandi intra quinquennium, restitutionem illius concedere solet; prout non semel fieri se vidisse testatur Barbosa in *Collectan.* ad cit. cap. XIX concilii Trident. n. 9.

92. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod concilium Trident. cit. cap. XIX decreverit,

regularem, qui contra suam professionem reclamavit, non esse audiendum, « nisi intra quinquennium tantum a die professionis. » Resp. enim, quod aliud sit, allegare causas nullitatis professionis, aliud allegare causas, ob quas non potuit intra quinquennium reclamare. Illud post quinquennium non licet, nisi per beneficium restitutionis auctoritate pontificia quis in pristinum statum reponatur: bene tamen istud.

93. *Restitutio in integrum non competit minori contra substantiam matrimonii.* — Quæritur III. Utrum restitutio in integrum competat adversus matrimonium? Resp. Quoad substantiam matrimonii non competit minorenni restitutio in integrum; bene tamen quoad ejus accidentalia. Ita Covarruvias, lib. I. *Var. resolut.* cap. v, n. 8, § *Rursus*; Engel, cit., n. 23, et alii. Ratio prioris partis est, quia matrimonium valide contractum inducit vinculum perpetuum, atque ex divina institutione indissolubile; sicque non obstante quacumque læsione, restitutioni in integrum locus non est, etiamsi minorennis contraxerit cum vetula edentata; prout exemplificat Speculator, tit. *De Restitut. in integrum.* § *Qualiter*, n. 5.

94. *Bene tamen quoad ejus accidentalia. Ut si lædatur circa dotem immoderatam promissam.* — Altera pars patet ex L. un. C. *Si adversus dotem restitutio petatur*: ubi habetur, quod minor, ac hæres ipsius, restitui in integrum possit, ac debeat, si circa dotem immoderatam promissam in contractu matrimonii graviter læsus fuit, ut corrigatur excessus ipsius: atqui dos est quid accidentale, et accessorium matrimonii; ergo.

95. *Vel si ex sententia matrimoniali se graviter læsum probaverit.* — Deinde, quod minor, si ex sententia matrimoniali graviter se læsum probaverit, restitui possit in integrum adversus dictam sententiam, patet ex c. *Ex litteris.* 4. et Glossa ibid. §. *Ad plenum.* h. t. ubi in favorem matrimonii talis restitutio facta legitur. Accedunt illico dicenda de confessione matrimonii, et sponsalium, per minorennem temere tacta: unde

96. *Minor restituitur contra propriam confessionem incaute factam.* — Quæritur IV. Utrum minor restituatur contra propriam confessionem? Resp. Quando minor ex actu propriæ confessionis graviter læditur, ut puta in iudicio falsum incaute confitendo, potest eidem subveniri per restitutionem in integrum. Ita communis; idque patet ex l. *Certum.* § *In*

pupillo, ff. de *Confessis*, ubi textus generaliter inquit: « Minorem a sua confessione restituemus. » Concordat cap. II. h. t. in 6, ubi habetur, quod Ecclesia graviter læsa adversus confessionem a se in iudicio factam, beneficium restitutionis in integrum infra quadriennium, a tempore ipsius confessionis computandum, petere valeat. Imo, quod petens restitutionem adversus confessionem suam, non teneatur probare pro læsione falsitatem ejus, recte post Glossam ibid. §. *Confessionem*, et alios notat Mascardus, concl. 1281. de *Probationibus*, n. 24.

97. *Ut si incaute confessus sit, se cum aliqua contraxisse sponsalia.* — Sic imprimis fit, quando minor incaute, seu falso in iudicio confitetur, se cum aliqua contraxisse sponsalia, vel matrimonium, de quo aliunde non constat, neque adest semiplena probatio. Siquidem ob favorem matrimonii, et ne quis invitatus cogatur ducere, quam odit, potest petere restitutionem in integrum adversus talem confessionem; ut notat Alexander consil. 80, n. 1, vol. VII, et Covarruvias cit. cap. v, n. 8.

98. *Imo etiam restituitur minor adversus confessionem delicti.* — Insuper, quod etiam adversus confessionem delicti, quod aliter non est probatum, minor sit restituendus in integrum, ubi se probat graviter ex ea læsum esse; tenet Jason in l. *Nam postea*. §. *Verum*. n. 7. ff. de *Jurejurand.*, citans Angelum in d. l. *Certum*. §. *In pupillo*. ff. de *Confessis*. Idem docet Alexander, consil. 115, n. 6, vol. III; Zoesius, h. t. ff. n. 27. et alii passim: quamvis oppositam sententiam judicet veriorum Fachineus, lib. I. *Controvers. jur.* cap. LXXII.

99. *Solvitur notabilis instantia.* — Quod si opponas, Vel minor ille confessus est veritatem, vel falsitatem. Si primum, non potest peti, nec concedi restitutio, ne veritas impugnetur; si secundum, probata tali falsitate, seu errore, aliunde non nocet confessio, juxta cit. cap. II, §. fin. h. t. in 6. ergo nunquam est recurrendum ad extraordinarium remedium restitutionis in integrum. Resp. neg. consequent. Quia, licet confessio illa (uti supponitur) sit falsa, seu facta per errorem, facië tamen contingere potest quod falsitas ejus, seu error commissus, in foro externo probari non possit, quamvis valeat probari læsio exinde consurgens: unde expedit, restitutionem in integrum adversus ejusmodi confessionem petere, atque conce-

dere. Glossa in cit. cap. II. h. t. in 6.

100. *Hoc ultimum limitatur.* — Fatendum tamen non deesse doctores, qui volunt minorem non aliter esse restituendum contra propriam confessionem, nisi prius docuerit, saltem mediantibus gravibus præsumptionibus, confessionem ex errore processisse, aut ex metu, vel alio gravi respectu, seu ex juvenili præcipitancia ipsum dixisse falsum, arg. l. *Verum*. 11. §. *Sciendum est*. ff. de *Minorib.*, ubi minoribus per restitutionem in integrum non passim subvenitur, sed tum demum, « si causa cognita capti esse probentur. » Accedit, quod minorem indistincte ac generaliter restituere adversus confessionem, etiam veram, aliud non foret, quam ei dare occasionem mentiendi litemque prote-landi: quod utique rationi et æquitati non est consentaneum. Engel h. t. n. 26, et favet Fachineus cit. lib. I. *Controversiar. juris*, cap. LXXII, in fine.

101. *Adversus delictum dolo commissum minor non restituitur.* — Quæritur V. Utrum minor in delictis sit restituendus? Resp. I. Adversus delictum dolo commissum, et pœnam sive corporalem, sive pecuniariam ex eo debitam, minor non restituitur: nisi ut habeatur pro confessio, vel transactio. Ita desumitur ex l. *Si ex causa*. §. *Nunc videndum*. ff. de *Minorib.*, ac notat Bartolus ibid. in *Summario*; Zoesius h. t. ff. n. 27, et alii. Concordat textus in l. I. C. *Si adversus delictum*, etc., ubi hujus ratio redditur: quia videlicet « maiorum mores infirmitas animi non excusat; » hoc ipso, quod sint doli capaces, atque ex dolo delinquant. Secus, si quis ætate sit infans, aut proximus infantie: talis enim non censetur dolo delinquere, arg. l. ff. Ad leg. Cornel. de *Sicariis*; et notat Julius Clarus, lib. V. *Practiæ criminal.* §. fin. quæst. 60, n. 2.

102. *Bene tamen, si deliquerit solummodo per culpam.* — Dicitur notanter, « adversus delictum dolo commissum. » Ut si furtum commiserit aut circa rem depositam, vel commodatam, vel alium contractum quid doli fecerit, seu damnum injuria dederit, aut adulterium perpetrarit: tunc enim minori non subvenitur per restitutionem, prout cit. §. *Nunc videndum*, et seqq. exemplificatur. Quod si vero minor deliquerit solummodo per culpam (hoc est omitendo quid de debita diligentia, non autem quid mali committendo), tunc is restituitur, arg. cit. l. I. C. *Si adversus delictum*, etc. ac notat Glossa ibid. in

casu, et Julius Clarus d. quæst. 60, n. 4, citans communem. Et refertur talis facta restitutio in l. ult. C. eod. ubi mater ætate minor, quæ filiis tutorem non petierat, restituitur, ne privetur successione filii morientis in ætate pupillari.

103. *Imo et in priori casu restituitur, ut habeatur pro confessio.* — Additur vero, « nisi, ut habeatur pro confessio, » etc. Quod procedit in illis casibus, in quibus pœna crescit propter inficiationem; puta, quod negans, et convictus teneatur actione dupli, vel quadrupli, ubi confessus, vel transigens, in simplo conveniretur. Hoc enim modo minor restituitur, ut post factam antea negationem habeatur pro confessio, vel transactio; sicque non teneatur nisi ad simplum, si civiliter convenitur, licet dolo deliquerit. Textus, Glossa et Bartolus in cit. §. *Nunc videndum*.

104. *Insuper minor non restituitur contra omissam, vel remissam executionem pœnarum.* — Resp. I. Insuper minor non restituitur contra omissam, vel remissam executionem pœnarum; hoc est, quando per ipsum intra tempus a jure statutum omissa fuit, vel etiam penitus remissa executio pœnarum, alteri in ipsum peccanti debaritur. Ita Zoesius, h. t. ff. n. 29. et habetur expressum in l. *Auxilium*. §. 1. ff. de *Minorib.* Ubi istud exemplificando subjungitur, quod injuriarum iudicium semel omissum (sive pacto, aut dissimulatione, sive anni cursu, ut explicat Glossa) repeti non potest » per auxilium restitutionis in integrum: et similiter, quod minor non sit restituendus, si intra sexaginta dies omiserit accusare mulierem adulteri, jure mariti. Accedit ratio, quia hujusmodi res non ad rem familiarem, sed potius ad ultionem pertinet, l. *Sepulchri*. 6. ff. de *Sepulchro violat.*

§ V.

DE EFFECTIBUS RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

105. *Restitutio in integrum potest tripliciter considerari.* — Quantum ad effectus restitutionis in integrum est prænotandum, quod dicta restitutio possit tripliciter considerari. I. Ut obtinenda, sed nondum petita. II. Ut petita, sed nondum obtenta. III. Ut jam obtenta. Ne igitur confuse præsens examinetur paragra- phus, cum confusio sit mater erroris, noverca lucis, nutritrix rixarum, operæ pretium est, de singulis ejus considerationibus specialiter proponere quæstiones: unde

106. *Beneficium restitutionis in integrum, etiam obtinendæ, est transitorium ad hæredes, et successores universales.* — Quæritur I. Quos effectus habeat restitutio obtinenda, sed nondum petita? Resp. I. Hujusmodi restitutio cumprimis habet illum effectum, quod beneficium restitutionis in integrum sit transitorium ad hæredes, et alios successores universales. Ita Jo. Andreas in c. *Privilegium*. n. 1; et Dynus, ibid. n. 2 et 3, de *Reg. jur.* in 6; Menochius, lib. I, consil. 33, n. 45; Nicolaus Noalis, de *Transmissione*, casu 44, n. 1 et seqq.; Jo. Mauritius Bolanus, tom. V. *Tractatum*, tract. *De Restitut. in integrum*. cap. xv, n. 1, asserens hanc esse firmissimam juristarum regulam. Patet id ipsum ex l. *Non solum*. 6. ff. de *Restitut. in integ.*, ac notat Bartolus ibid. in *Summario*. Idque procedit, etiamsi restitutio ex capite minorennitatis competat, et hæres sive alius successor universalis sit majorennis; ut l. *Minor autem*. §. fin. ff. de *Minorib.* Ubi Ulpianus disertis verbis profitetur: « Non solum autem minoribus, verum successoribus quoque minorum datur in integrum restitutio, etsi sint ipsi majores. » Accedit ratio datæ conclusionis: quia ipsius minoris quodammodo interest, ut post mortem ejus competat hæredibus restitutio in integrum ex gravi læsione sibi facta; ne alioquin tanto pauperiorem relinquat hæreditatem, quam vix aliquis velit adire.

107. *Et cur non extinguatur cum persona? Est magis reale, quam personale.* — Nec obstat, quod beneficium restitutionis videatur esse personale, atque ob imbecillitatem iudicii minoribus concessum; privilegium autem personale extinguatur cum persona, juxta reg. 7 juris in 6. Resp. enim cum Jo. Andrea, Dyno, Noalis, ubi supra, et aliis, dictam regulam procedere, quando persona est causa proxima privilegii concedendi; tunc enim istud extinguatur cum persona: secus, quando persona, seu respectus personalitatis est solum causa remota privilegii, et alia datur causa proxima et immediata ipsius. Sic autem fit in proposito: nam causa proxima beneficii restitutionis in integrum non est persona minoris (conceditur enim etiam Ecclesiis, imo quandoque et majorennibus); sed gravis læsio bonis ipsius illata: unde hac non probata non habet locum restitutionis beneficium, etsi constet de ætate ejusque imbecillitate; persona quippe minoris est solum causa remota illius. Addit Bolanus, ubi supra cap. XIII, n. 2 et 3, beneficium restitutio-